



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.DC.IX. Sancti Patris Benedicti. M.C.XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

nominata, monialis Sanctæ Annæ, in civitate Abulenfi. Fuit Petronilla Vifgo verè sancta, rigoris incredibilis in delicatam carnem suam & speculum purissimum, intraminatissimæ Virginitatis. Per viginti annos continuos integras in templo continuavit noctes, duxitque insomnes orationi intenta. Ferrea catena corpus suum arctissimè strinxit, & verè in servitutem spiritus redigens, ut mancipium, imo jumentum habuit. Fuit in visa admodum inferis, à malis Genijs DEI permissione, visibiliter & importunè impugnata, quos tamen mira animi fortitudine, contemnens fugabat, & profligabat. Vita excessit septimo Iduum Julij, incertum nobis quo anno, hoc tamen certissimum superstes. *Ex Michaelè Vaqueo, & Chrystomo Henriquez.*

Claudit hoc ipso anno mortales oculos in felicissimam obdormitionem, Venerabilis P. F. Raphael Sarmiento, Hispanicæ gentis decus & ornamentum ex illustri admodum antiqua & generosa familia apud Ocannam natus, Hortensis Canobij florentissimus flosculus, in quo tanta perfectionis opinione enituit, ut omnibus pro exemplo esset, in sacris æquè ac profanis litteris eruditissimus, tantus pro Concione orator, ut nulli secundus haberetur. Ingenij monumenta nonnulla posteris reliquit, quæ inter librum unum, quem Promptuarium conceptuum inscripsit, ad formandas totius anni conciones. Libros denique aliquot Concionum Compluti typo exsulos. *Ex prædictis Script.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. IX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXIX.

MEMORABILIA D. BENEDICTI REDIVIVI gloriam nostra ætate accessione, felicissimo successu proficit, laudatissima & meritissima Congregatio nostra Anglicana, pro conversione Anglorum, Sæctorum, & Hibernorum, utilissimè instituta, in quam plurimi pro suo Zelo, ad Apostolicam sanè functionem, assumpti, constantiam suam ac magnanimitatem, Ecclesiæ Romanæ insigniter in hodiernum comprobârunt diem, plurimi suo & sanguine & morte contestati. *De quibus legendus Reinerus in Appendice & alibi, &c.*

Sed ut Zelum hunc animarum in nostris tanto decursu sæculorum laudatissimum, perpetuo conservatum, & in hoc fine sæculorum reacensum Lector planius cognoscat, Votum Professionis Monachorum nostrorum, huic Apostolicæ Congregationi nomen dantium adscribendū duximus, quod ita habet:

Ego N. N. Anglus, Monachus Professus, promitto, spondeo & voveo, coram DEO, Beatissima semper Virgine DEI para, & Beato P. N. Benedicto, &c. me semper paratum fore, in Angliam Fidei Catholicæ propagationis Causâ redire, atque ibi permanere, indeque reverti ad locum mihi destinatum, quando & quoties mihi præceptum fuerit, à Reverendissimo Patre Præsede, Missionis & Congregationis Anglicanæ.

Inviderunt hanc gloriam Nostris nonnulli, mustitatumque passim, eam Professionem Monachis minimè competere, quibus conveniret Contemplationi solum, non prædicationis & docendi laboribus se dare: Unde permoti Congregationis Hispanicæ primates, causam alioquin liquidam, & non semel definitam, gravissimo celeberrimi Salmanticensis Senatus facultatis Theologicæ, iudicio & censura permissendam censuere. Respexere Iudices ad Bonifacij IV. suo tempore prolatum Decretum (quo, ante mille nimirum annos, ejusmodi querelas oppressas & elusas pridem memoravimus) & usu perpetuo ac consuetudine fundatum Institutum tum agnovere, post producta Bonifacij verba sic pergentes, *Nos convicti iam apertâ Pontificis decisione, non potuimus ei non subscribere debita reverentia & observantia, atque ita censimus, Monachos BENEDICTINOS quantum est ex Professione, qua juxta Regulam suam devincuntur, aut ex instituto scorsum vivendi, à reliquis hominibus, ut libentius possint vacare contemplationi rerum Divinarum, non impediri quo minus possint à suis Superioribus mitti in Angliam, & alias provincias, ut dent operam, reductioni Hæreticorum ad fidem Catholicam, à qua defecerunt: & Conversioni quorumcunque infidelium ad eam. Addimus præterea perpetuo usu & consuetudine fuisse in Ordine Divi Benedicti hoc receptum, summa & evidenti Catholicæ Ecclesiæ utilitate, ut confirmat testimonium, ejus meminit Gratianus 16. q. 1. & præ-*

*Eiusdem
solemnis
Professionis
forma.*

*Invidia
nonnullorum.*

*Repressio
Collegij
Salmantici.*

*Decretum
Bonifacij
IV.*

*Cacoda-
moni odia-
ssima.*

*Raphael
Sarmiento.*

*Congrega-
tio Angli-
cana.*

Ordinis
nostri anti-
qua &
perennis
gloria.

ter id sunt plena exemplorum Ecclesiastica Historia, plena fere omnium Catholicorum scripta, quae hoc nomine hunc Ordinem miris laudibus extollunt. Unde communis pene omnium Christianorum animis inhaesit opinio, innumeros ex hoc Ordine Doctores, Concionatores, Martyres, & Pontifices prodijisse, adeo ut nemo sit, cui haec ignota esse possint. Ita tenet Schola Theologorum Salmanticensium.

Subscriptio
Salmanticensium.

F. Bartholomaeus Sanchius, Decanus.
Joannes Alphonsus Curiel Canonicus Salmanticensis.
Fr. Augustinus Antolinez.
Magister Andreas de Leon Canonicus Penitentiarius.
Magister Petrus Arrago.
F. Ludovicus Bernardus.
F. Petrus Ledesma.
Magister Sagredo de Porres Canonicus Salmanticensis.
F. Petrus Corneio.
F. Franciscus Corneio.
F. Andreas de Espinosa.
F. Basilius Pontius Legionensis.
F. Dionysius Jubero,
Magister Gelanda Professor Hebraica lingua.
F. Petrus de Herrera.
F. Bernardus Bivanco.

Notarius
publicus.

Et ego Antonius Ruano de Medrano publicus Apostolica Auctoritate Notarius & Salmanticensis Academia Secretarius facio fidem fuisse hanc resolutionem Collegij Theologici ejusdem Academiae & Magistrorum ejus, quos novi, facta prius in suo claustris praedictae difficultatis publica conferentia, cui interfui, & de mandato ejusdem Collegij hoc publicum Instrumentum exhibui, die 27. Mensis Julij 1609. Rogatus.
Antonius Ruano de Medrano.

V. Florentius
Conversus
Turca.

Ex infideli fidelissimus Christo & Ecclesiae, magnis Virtutibus se probat in Germania nostra, & Ducatu ejusdem Luxemburgico Beatæ memoriae Frater Florentius, Conversus celeberrimi Vallis Aureae haud procul Luxemburgo Cænobij. Is Turca natione, secta Mahometanus, singulari Numinis gratia ad fidem vocatus, cum infidelium exercitu in Ungaria profligato, à Christianis captus esset, à Sanctis Nicolao & Claudio Episcopis, qui ei vigilanti visibiles apparuerant, conversus, à sanctæ memoriae Bernardo de Montgayllard, sacris Baptismatis undis ablatus est, & pie instructus,

cum sacrum Religionis habitum ferventissimè expeteret, eandem in Valle Aurea meruit, & Conversorum Ordini adlectus, admirabili innocentissimæ Vitæ exemplo, mirè se omnibus probavit & commendavit, & post multa sanctitatis opera, cum sæculum nostrum plurimum exornasset, migravit ad Christum, cujus res gestas, paulo post in lumen prodituras avidissimè exspectamus. Vita excessit Nonis Julij. Ex Menologio nostro & Henriq.

Mortalitatis exuvias deponit hoc anno Reverendissimus Dominus Ludovicus Sombek celeberrimi Gladbacensis Cænobij Abbas meritissimus, Congregationis Bursfeldensis incomparabile decus, Zelator & promotor Disciplinae Regularis Zelosissimus, qui ut de suis non solum, sed & posteris optimè mereretur, creditumque sibi à Numine talentum minimè defoderet, sed in lucra Domini converteret, librum edidit Divini Spiritus dictatis plenissimum, quem, Titulo *Faniculi triplicis* inscripsit, in quo Passionis, Mortis & Crucis Dominicæ Mysteria, & documenta Sanctorum Patrum verbis expressa, summa cum voluptate & utilitate legentium doctissimè & accommodatissimè redhibuit. Fuit vir magnæ auctoritatis, decessitque anno ætatis septuagesimo sexto, Prælaturæ vigesimo septimo, Sacerdotij quinquagesimo secundo, professionis quinquagesimo septimo, brevi, at ponderoso Elogio à suis in Epitaphio honoratus, Sanctorum semita morum, Doctrina Jubar, & Religionis honor dignissimis sane Titulis appellatus. Ex Monumentis ejusdem Cænobij.

Nunc denique mense Junio valedicens Henrico Regi sui amantissimo Parisijs discedens Metas petit Eminentissimus Cardinalis noster Annas de Escars, possessionem aditurus, & Ecclesiae recens sibi creditæ consulturus, incredibili omnium plausu exceptus, Decano & Canonicorum præcipuis, ad famosum usque castrum Malatour obviam occurrentibus, reliquis cum Gubernatore Regio, in pagum usque Moulin, in occursum advolantibus, ipsumque splendidissimâ pompâ inter tormentorum bellicorum explosionem in urbem & Cathedralē Eccle-

Mira vita
ejus sancti-
141.

Ludovicus
Sombek
Abbas
Gladba-
censis.

Insigne en-
comium

V. Annas
Cardinalis
Metis se-
lennius
excipitur.

clesiam, atque inde Palatium Episcopale inducentibus.

Miraculum illico vigilantissimi Pastoris sese exhibuit, nihilque prius habuit, quam Clerum reformare, exemplum sanctitatis omnibus præferre, cunctos demereri, admirabili sese prudentia in omni ejus actione, juxta Zelum sanctissimum prodente, nemine non in tanto Principe summam animi demissionem, humanitatem & liberalitatem admirante, & verè paternum affectum agnoscente. *Ex Vita ejusdem Ms.*

Non sine prodigio servatæ hoc anno Moniales nostræ Montis Martyrum, veneno sæpius impetita, pane infecto, quem perditissima illa soror Maria Parisiensis dicta ope cacodæmonis pinserè consueverat, Monialibus voto sese Divo Carolo Borromæo obstringentibus, si ea peste, hominis (adeo pestilentis Monasterio) liberarentur, quod hoc etiam anno impetrarunt, & Maria illa, diu ipsamet & dæmone oblitantibus, pensione annuâ promissâ, procul accommodata fuit, ita ut de ejusdem improba vita nihil porro rescire possent, nedum intueri cogentur inque tot periculis & anxietate eidem convivere. *Ex Vita Bellovillariensis.*

Eligitur hoc anno Abbas Alcobatiæ Reverendissimus Dominus Antonius à Conceptione, vir præstantissimus, sub quo, ex insigni Doctissimorum virorum Conventu, duo præ alijs celebrati sunt R. P. Bernardus Brito Philippi III. Hispaniarum Regis in Regnis Lusitaniæ Archi-Historiographus, qui *duos Tomos Monarchiæ Lusitanæ à Lusitanis in admiratione habitos: effigies item Regum Lusitaniæ, Chronici Cisterciensis Libros sex: Commentaria in Michæam Prophetam:* & alia æquè erudita publicavit; & Franciscus Carreyro Sacræ Theologiæ in Universitate Coninbriensi publicus Antecessor, qui vel doctè ibidem Francisco Suarez (nostri sæculi oraculo) inter primarios meruit numerari. *Ex Monumentis Alcobatiæ.*

Moritur hoc anno haud minimum Bursfeldensis Congregationis nostræ decus Leonardus Rubenus sive Rubenius Abdinghofensis Cænobij Abbas & prædictæ Congregationis Præses Generalis, vir de Ordine meritissimus, &

relictis etiam ingenij & pietatis pulcherrimis monumentis clarissimus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. X.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXX.

Rursum, Benedictino Sanguine sacranda fuit hoc anno, nostrorum infinitis laboribus tanto decursu sæculorum exulta Anglia. Fuit is, qui Anglorum salutem sanguine & vita potiorem habuit Venerabilis P. F. Joannes Robertus de Mervinia, unus ex primis Monachis, qui post Religionis Catholicæ in Anglia suppressionem, ad ejusdem reductionem operandam, à Reverendissimo Præsidente Apostolicæ Congregationis fuit destinatus, Vir magnæ constantiæ, Zeli præcipui, & charitatis; qui sæviente Londini peste gravissima, infectis & morientibus assistere, & Sacramenta ministrare, fidemque annunciare, pro Christo perseverantissima devotione, sustinuit; postquam sæpè sæpius è carceribus in exilium missus fuisset, tandem ob Fidei Catholicæ constantissimam professionem, sententiam capitalem & supplicium hilaris subiit, suoque proprio Sanguine, Christo Regi Regum livavit die 10. Decembris morte felicissima & in oculis cæli ipsius plurimum gloriosa, in finitimo populo spectante periculosis laboribus finem imposuit, & felicissimum animum ad triumphos æternitatis dimisit. Ejus agonem fufius describit Antonius de Jeyes noster tomo 4. in Chronico Generali Ord. aitque inter omnes Religiosos, qui in Insula illa laborarunt, penè Principem reputari posse, quod ad laborem & fructum prædicationis attineret. Fuit autem quinquies captus, semper pro DEO & Religione mori paratissimus, & toties singulari DEI providentia ad multorum salutem dimissus & libertati redditus. Sexta vero vice comprehensus ipsa Dominica I. Adventus, cum in Catholici cujusdam viri domo, sacris operatus esset, octava die Decembris, quæ Conceptionis Immaculatæ DEIPARÆ Virginis honori sacra & solemnitas est, in Judicium productus, mira constantia & sapientia coram Judicibus rationem Fidei reddidit. Decimo Decembris ad locum Supplicij deductus, coram toto populo, Sacerdotem sese esse, &

V. Joan
Robertus
de Mervinia.

Martyris
Apostolice
coro-
nat.

Insigne cæ-
lis ipsi spe-
ctaculum.

Sancti viri
merita.

Mona-

Plausio
vnum.

Prodigiis
servantur
Reformata
Moniales.

Antonius
de Concep-
tione Abb.
Alcobatiæ.

Leonardus
Rubenus
Abb. Ab-
dinghofen-
sis.